


stadt
15





17945.

N^o 37

1613, 6

15

QVOD DEVS TRINVNVS BENE
VORTAT,

*Scitu permissuq^{ue} Amplissimi Ictorum ordinis in
illustri Illust.^{mi} Iulij Academia Iulia,*

Positiones subsequentes

DE

Vtilissima simul ac frequentissima

TESTAMENTORVM
MATERIA,

SVB PRAESIDIO

IOANNIS MVLLERI
QVEDLINBVRGO-SAXONIS,

*Exercitij causa veritatisq^{ue} indagandæ ergò euiscerandas
proponet, atq^{ue} defendendas suscipiet*

CASPARVS Heidtberg^{er} / Ascanius Sax.

*Habebitur disquisitio ad diem Augusti 27. horis & ante
& pomeridianis.*

*Non omnes in omnia, sed certi per certa vel melio-
res, vel deteriores inueniuntur, Const. Deo auctore J.
cumq^{ue} hac s. de concept. Digest.*

HELMÆSTADI,

TYPIS IACOBI LVCII,

ANNO MDCLXIII.





*Amplissimis, Clarissimis, Consultissimis,
Prudentissimisq; Viris,*

D N.

ANDREAE Müller / I. V. D.
EXCELLENTISSIMO, LAVDATIS-
SIMAE REIPVB. ASCANIENSIS CON-
suli ac Syndico meritissimo, Practi-
co eminentissimo:

D N.

HEINRICO Müller / Eiusdem Reipub.
Præfecto solertissimo & gra-
uissimo:

D N.

HENNINGO Müller / Eiusdem Reipub.
Prætori vigilantissimo ac dignis-
simo:

*Dnn. Cognatis, Mæcenatibus, Fautoribus & Pa-
tronis officiosè colendis,*

Positiones hæc testamentarias in singularis
obseruantiaε *τηρησειον,*

Dat, Dicat, consecrat

CASPARVS Heideberg R.



POSITIO PRIMA.

R

Erum dominia de legitimo iure aut sigillatim ad nos transeunt; aut per vniuersitatem, §. *fin.* *Inst. de Vsu & habitat. §. fin.* *Inst. per quas person. cuiq; acquir.* Particularitèr res quomodo adquirantur, iam non inquiremus, neq; omnes proposituri sumus modos pro tempore, quibus per vniuersitatem res ad nos peruenire solent.

2. Præcipua rerum vniuersarum acquisitionis species hereditas est, quæ nihil est aliud, quam successio in vniuersum ius, quod defunctus habuit, *l. nihil 24. ff. de V. S. l. hereditas 62. l. in pari causa 128. §. 1. ff. de R. I.*

3. Defertur illa vel ex testamento, vel ab intestato, §. *ult.* *Inst. per quas person. cuiq; acquir. l. 1. & 3. ff. de petit. hereditat. l. in plurium 70. in pr. ff. de acquir. hered. l. 3. §. de illo queritur 2. ff. pro socio. l. quod 6. §. proinde 2. ff. quæ in fraud. credit. l. 9. l. 22. §. 1. C. de iure delib. Vult. lib. 1. I. R. c. 73. num. 2.*

4. Hereditas testamentaria principalitèr voluntate testatoris datur, lege tamen approbante & confirmante lege. *l. lege 130. ff. de V. S. l. 1. ff. qui test. fac. poss.* Legitima ex sola legis constitutione ad nos deuoluitur voluntate testatoris non accedente, §. *1. & t. t. Inst. de hered. quæ ab intest. def. l. 14. C. de legitimis hered. N. 118.*

5. Quoniam verò, quandiu successor ex vltima defuncti speratur voluntate, ad legitimam successionem non patet aditus, *l. quandiu 39. ff. de acquir. hered. l. quandiu 89. ff. de R. I.* doctrina quæ de successione est testamentaria eam præcedit, quæ de legitima existere solet. *Herman. Vult. d. lib. 1. I. R. c. 73.*

6. Quapropter & nos iuris ordinem nequaquam contemnentes, successione ab intestato sepositâ in præsentem hereditatem testamentariam sub disputationis incudem reuocare haud displicebit, quæ in re necessarium est initium de ordinandis testamentis exponere: Verba sunt Iustin. Principis nostri sacratissimi *in d. §. fin. Inst. per quas person.*

7. Testamentum, cuius denominatio prius occurrit inuestiganda, à testatione mentis accepimus appellatum, *pr. Inst. de testam. ord. ubi Theoph. Petr. Gregor. in syntagm. iuris part. 3. lib. 42. c. 2. nu. 3. Ioan. Danth. in definit. testam. n. 9.* Quam nominis Etymologiam licet rideat Agellius *lib. noct. att. 6. c. 12.* carpat quoq; Laurent. Valla *lib. Elegant. 6. c. 36.* Contra hosce tamen iuris Auctorum reformatores, rectè eandem defendi posse, intrepidè adseueramus.

8. Nam mentis dictio emphasis causa adiecta est, quod in testamentorum confectione mens dominetur potissimum, eaq; in primis attendenda veniat. *l. 2. l. 17. ff. qui test. fac. poss. l. 19. ff. de condit. & demonstrat.* Potuisset quidem Iust. Imp. voluntatis uti vocabulo, & sic nullam Grammaticis reliquisset reprehensionis ansam, sed maluit mentis vocem adhibere, quod hæc paranomasia venustatis aliquid ut Francisc. Duar. loquitur, foueret.

9. Et sanè Iureconsulti non ex verbis semper Grammaticorum more, sed ex rebus plerumq; ipsis vocabuli notationem mutuuntur, *arg. l. 1. ff. de I. & I. l. 1. ff. de Nouat. Vigl. Zuichem. ad pr. Instit. de test. ordinand. nu. 4.* Sic donatio à dono dicta est, quasi doni datio: en à solo dono deducitur hîc donatio, ad maiorem tamen declarationem, quasi doni datio adijcitur, *l. 35. §. 1. ff. de mort. causa donat.*

10. Finimus testamentum cum Modestino ICto, voluntatis nostræ iustam sententiam, de eo quod quis post mortem suam fieri velit, *l. 1. ff. qui test. fac. poss.* Quanquam in hisce verbis (iustam sententiam) interpretandis, mirè variant Dd. adeò ut ob illa Herman. Vult. *in pr. Inst. de testam. ord. nu. 78. & seq.* nouam excogitarit testamenti definitionem; Nos tamen Modestini finitionem minime reiiciendam existimamus.

11. Iustam itaq; sententiam iuris legibus ac regulis, quæ de testamentis sunt, interpretamur consentaneam, *l. 4. ff. qui test. fac. poss. Francisc. Duar. eod.* Hinc testamentum in iure nostro ex solennitate ordinationis, vel solennitate iuris dependere dicitur, *l. 7. l. 8. l. 12. l. 19. l. 20. C. de testam. l. 4. C. qui testam. fac. poss.* Nec Accursij *in d. l. 1. ff. qui testam. fac. poss.* suppletionem admittimus, cum heredis scilicet institutione, licet magni nominis ICtos sibi habeat ad stipulatores.

12. Hinc

12. Hinc quæstio tractari solet, num testamentum iuris ciuilibis sit, an verò iurisgentium? Ex his sanè, quæ dicta iam sunt, iuris ciuilibis esse videtur, iusta namq; sententia appellatur, h. e. vt præcedens positio habuit, legitima, solemnis, imò testamentum iuris publici existit, quod certè ciuile esse, Papinianus innuit *ICTus in l. 3. ff. qui test. fac. poss.* quod tamen de forma testamenti intelligendum quis dubitat?

13. Originem certè si inspiciamus testamenti, inficias ire haut possumus, iurisgentium illud esse; dicitur enim ratio naturalis, vt non nobis solùm, sed & liberis, ijsq; qui benemeriti sunt de nobis, prospiciamus. *l. 7. ff. vnde liberi.* ex qua affectione morientium enatas esse testationes, de finib. scriptum reliquit Cicero. Istud autem quàm melius quam testandi modo fieri potest?

14. Vnde & apud omnes ferè gentes in vsu testamenta: Apud Athenienses Solon de libera testandi facultate legem tulit. Extat Cyri morientis elogium vltimum apud Xenophont. *8. Cyropæd.* Habentur exempla in sacris, *Genes. 19. 27. 49. 50. Leuit. 25. Num. 27. Dent. 20. Esaiæ 14.* Addi quoq; possunt ex Tholosano exempla. *lib. de Repub. 7. c. 12.*

15. Cæterum cum in omni testamento monente Gaio *ICTo in l. 4. ff. qui test. fac. poss.* id imprimis animaduertere debeamus, an is qui fecerit testamentum, habuerit testamenti factionem; Deinde si habuerit, an secundum regulas iuris ciuilibis testatus sit, à methodi institutæ ratione haut alienum nos facere opinamur, si primò de personis testamentum condere valentibus, deinde de ipso testandi modo dispiciamus.

16. Et quanquam nihil est, quod hominibus debeatur magis, quam vt supremæ voluntatis, postquam iam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & licitum quod iterum non redit arbitrium. *l. 1. C. de SS. Ec.* Non omnibus tamen, nec volenti vnicuiq; pro suo arbitrio testamentum facere est concessum, sed legibus certis.

17. Omnibus itaq;, tam masculis quàm fœminis, tam paganis quam militibus permessa est testamenti factio, nisi specialiter prohibeantur. De testamenti namq; factione edictum permissorium cum sit, permittitur omnibus quasi per regulam, nisi expressè aliqui prohibeantur. *Ioan. Sichard. ad Rub. Cod. qui test. fac. poss.*

18. Prohibentur autem quidam naturâ, quidam lege. Naturâ ob defectum vel animi, vel corporis. *Ob defectum animi, vel ætatis ratione, vt impuberes, pupilli, quia nullum eorum animi est iudicium, §. præterea 1. Instit. Quibus non est permiss. fac. test. quicquid ætas illa videt, ignorat. l. 1. C. de falsa monet. plenum animi iudicium nondum habent impuberes. Vlp. in frag. t. 20. §. impubes. 11. quomodo ergo testamentum condent, quod vltimum est iudicium. l. 4. C. qui test. fac. poss. mentis ac voluntatis sententia. l. 1. ff. eod. Vigl. Zuichem. ad d. §. præterea 1. Inst. quib. non est permiss. fac. test. VVesemb. in par. ff. qui test. fac. poss. n. 13.*

19. In tantum autem à testamenti confectioe remouemus impuberem, vt ne quidem tutore auctore testari possit, multoq; minus per tutorem, l. 1. §. 1. ff. de tutel. & ration. distrab. penderet etenim sic ex voluntate tutoris testamentum, contra definitionem eiusdem. l. 1. ff. qui testam. fac. poss. ex propria procedere debet testamentum, non ex aliena voluntate. l. illa institutio 32. in pr. ff. de hered. instit. Ioan. Sichard. ad Rub. C. qui test. fac. poss. Iason eod.

20. Vel casus alicuius, vt furiosus, d. §. præterea 1. Instit. quib. non est permiss. fac. testam. l. 2. in fin. ff. de inoff. testam. l. filiusfamilias 16. §. 1. ff. h. t. quia mente destitutus est, d. §. præterea 1. nulla eiusdem voluntas. l. furiosi 40. ff. de R. I. nisi remissi morbi dilucida appareant interualla, vel testamentum ante furorem conditum extiterit. Nam neq; testamentum rectè factum, neq; vllum aliud negotium rectè gestum postea furor interueniens perimit. l. furiosum 9. C. qui test. fac. poss. d. §. præterea 1. in fin.

21. Prodigio h. e. bonorum suorum dissipatori, etiam testamenti factioe interdicitur, §. item prodigus 2. vbi Vigl. VVesemb. Vult. & Dd. com. Inst. Quib. non est permiss. facere testam. l. is cui lege 18. in pr. ff. qui test. fac. poss. Apertè Pomponius. Eius cui bonis interdictum, nulla voluntas habetur. l. 40. ff. de R. I. non habet sanos mores. l. 1. ff. de curat. furios. in bonis suis furiosum facit exitum d. l. 1. comparatur furioso. l. si quis 12. §. Diuus ff. de tut. & curat. dat. & pupillo l. 9. §. quoniam ff. si certum petat. Huius tamen testamentum, posteritati suæ, cognatisq; egentibus si prospexerit diligenter, ex constitut. Leonis Imperat. N. 39. sustineri posse existimamus. Hoc etiam procedere, si mores suos corrigat, sanitate vitæ recepta, te-

pta, testis est Paulus *lib. 3. recept. sentent. 4. §. prodigus.*

22. Num autem prodigo hodiè ipso iure bonis interdicitur, an verò Magistratus decretum expectandum, ancipitis iuris est quæstio, & in vtramq; partem disputari solet. Nos illorum subscribimus sententiæ, qui Magistratus interdictione opus esse contendunt. Non enim de prodigo simpliciter, sed de prodigo, cui bonis est interdictum, verba facit Imp. *in d. §. item prodigus 2.* Et hanc sententiam probat *l. 1. l. Iulianus 10. l. pen. §. ult. ff. de curat. furioso & alijs dand. c. veritatis 8. ext. de dolo & contumac. Gail. lib. 2. obs. 51. nu. 2. Cuiac. in l. is cui bonis 6. ibidemq; Coras. Iason & Duar. de V. O. VVesenb. ad §. furiosi 2. n. 4. Inst. de curat. & in §. præterea n. 3. & ibidem Viglius Zuichemus Inst. Quibus non est permiss. fac. test. Dn. Gædd. in aureo suo tr. de contrab. stipulat. c. 7. conclus. 10. n. 141. cum seqq.*

23. Sic ergò aliqui ob mentis integritatem, quâ destituuntur, vltima elogia conficere prohibentur: Non sufficit autem mentem habere integram, nisi & adsit voluntatis declarandæ facultas. Quid enim quæso testari aliud, quàm voluntatem suam linguâ vel scripto edere? Quare ob *Corporis defectum* actiones animi ad testamentum conficiendum necessarias auferentem, surdus & mutus simul natus vel factus scribere nesciens, testamentum condere potis non est, *l. discretis 10. C. qui testam. fac. possunt.* Quamuis enim intellectu non careat, functione tamen intellectus destituitur. Neq; inquisitionem hic instituimus, quid surdus, mutus à naturâ intelligat, sed quomodo voluntas eius percipi possit.

24. Surdus tantum, aut mutus tantum, siuè ita natus, siuè ita factus olim testari non poterat, nisi id specialiter ille voce vel scripto, hic scripto à principe impetrasset. Neq; enim aliter Princeps testandi indulget priuilegium, quàm de testantis constet voluntate, *§. planè 1. Inst. de militari test.* Parùm igitur consideratè Accurf. & Dd. *ad d. l. discretis 10. C. qui testam. fac. possunt,* adnotarunt, mutum etiam literarum imperitum, à principe testamenti factionem impetrare posse. Quomodo enim is, qui nec loqui, nec scribere potest, preces suas hac de re Principi exponet? Certè illius gestulationes & signa quis verè percipiet, & non magis in aliam partem ac ipse velit, interpretabitur? *Viglius Zuichemus ad §. item surdus 3. Inst. Qui testam. fac. possunt num. 3.*

25. Sed

25. Sed cum olim non sine summâ difficultate Princeps adiri posset, hodiè surdus vel mutus citra impetrandi necessitatem, modò surdus articulatè loqui, & mutus scribere possit, testamenti factionem habent ex Iustiniani Imp. constitutione *in d. l. discretis 10. C. qui testam. fac. possunt. Hænon. disput. iurid. 7. thesi 4. lit. K. Opponit sese nobis Connan. lib. 9. comm. c. 4. n. 8.*

26. Et cœcus à testamenti factione remouetur, nisi secundum formam *in l. hac consultissima 8. C. qui testam. fac. poss. traditam*, vltimum elogium conficiat. Quæri hic solet: Num corruat cœci testamentum, nisi heredis institutio legata præcedat? Ita sanè arbitrantur Cynus, Bart. Butrig. Fulg. Dec. *in d. l. 8. Ang. in §. 4. Instit. quibus non est permiffum fac. testam.* Sed horum opinio nobis non aridet; placet magis Baldi sententia, quam refert & sequitur Hieron. *Trentl. part. 2. disp. 10. th. 3. in fin.*

27. Lege quis à testamenti factione arcetur, vel ob potestatem, cui est subiectus, vt filiusfamilias, *pr. Inst. quibus non est permiff. fac. testam. l. qui in potestate 6. in pr. l. si filiusfamilias 19. ff. qui testam. fac. possunt. l. nemo 11. C. eod. ne quidem patre consentiente, d. l. 6. in pr. ff. qui testam. fac. poss. d. l. nemo 11. C. eod. l. cum non solum, vlt. §. ipsum autem 5. C. de bonis quælib.* Testamenti namq; factio publici iuris existit, non priuati. *l. 3. ff. qui test. fac. poss.* De peculijs tamen castrensibus & quasi rectè ipsum testari posse, Iustinianus Princeps noster sacratissimus auctor est *in d. pr. Instit. quibus non est permiff. fac. test.*

28. Marte inter se pugnare videntur ancipiti Interpp. Possitnè filiusfamilias testari de bonis aduentitijs, quæ pleno iure eiusdem sunt, vt nec vsusfructus ad patrem pertineat? Afferit id quidem Iohan. Vaud. *lib. 1. q. 1.* sed minus rectè. Verior est Viglij Zuichemi sententia *in pr. n. 16. Inst. quibus non est permiff. fac. testam.* cui & nos cum Clarissimo Dn. Præceptore Ioanne Bartero, assertionum iuris *decad. 3. ass. 4.* subscribimus.

29. Nec fundamento destituta est nostra adfertio. Præter hos etenim ait Iust. Imp. *in fin. pr. Inst. quibus non est permiff. fac. test.* qui castrense peculium, vel quasi castrense habent, si quis alius filiusfamilias testamentum fecerit, inutile est: licet suæ potestatis factus decesserit. Cùm igitur hic duo tantum peculijs genera excipiantur, sequitur firmari regulam prohibitionis in casibus non exceptis. *l.*

ptis. l. *quesitum* 12. §. *deniq;* ff. de *fundo instruct.* Dec. in l. 1. n. 20. ff. de R. I. *Hænon. disput.* Inst. 7. q. 13. PRAETER liquidem particulæ ea est natura, vt quando inter genus & speciem ponitur, semper excipiat, siuè præcedat affirmatio, siuè negatio, l. *lege Papia* 23. ff. de *ritu nupt.* l. 3. §. *item tenetur* ff. ad L. *Iul. de vi publ.* l. *si venditor* 14. §. *pen.* ff. de *in diem addict.* Clarissimus Dn. Præceptor Ioannes Barterus d. *assert.* 4.

30. Eadem ratione quâ filiusfam. & seruus quoq; lege testari prohibetur, l. 16. in pr. l. 19. l. 20. §. 7. ff. *qui test. fac. poss.* Iuris namq; ciuile non est particeps, sed pro mortuo habetur, d. l. 20. §. 7. l. 32. & l. 209. ff. de R. I. l. 59. ff. de *condit. & demonstrat.* personam seu caput ciuile non habet, arg. l. *fin.* ff. de *cap. minut.* Etsi enim quandoque persona dicitur seruus, l. 1. §. *communis* ff. de *stipulat. seruor.* l. 21. ff. de R. I. Tamen hoc non venit ex proprietate verbi iuridica, sed accipitur persona pro serui indiuiduo. Eleganter Theoph. in t. de *stipulat. seruor.* Seruus est ἀπερόσωπῶν, & ex persona domini καὶ ἀπερόσωπῶν. *Andr. Gerhard. p. t. Scabinus Lipsensis colleg. testam. disputat.* 1. thes. 50.

31. Quod & ad Monachos extendi posse existimamus, *Auth. ingressi.* C. de *sacro sanct. Eccles.* c. *quia.* c. *si qua mulier* §. *nunc autem* 19. q. 3. N. 76. c. 1. N. 5. c. 5. Quod tamen ante ingressum in monasterium fecit testamentum, non rumpitur. d. N. 5. c. 5. d. c. *si qua mulier.* *Andr. Fach. libr. controuers.* 6. c. 14. *Hieron. Trentl. volum. 2. disput.* 10. th. 2. lit. d.

32. Ob statum quem non habet captus ab hostibus iure condere nequit testamentum, l. *eius qui* 8. ff. *qui test. fac. poss.* §. *ult.* Inst. *Quibus non permis. est fac. testam.* l. 6. §. 5. ff. de *iniusto rupto.* Quia & ipse seruus est hostium per id tempus, §. *si ab hostibus.* *Instit. quibus mod. ius pat. potest. soluitur.* l. *adeo* 7. in pr. ff. de *acquir. rer. dom.* valet tamen huius testamentum in ciuitate factum iure postliminij, si reuersus fuerit ab hostibus; si verò illic decesserit, valet ex L. *Cornelia* d. §. *fin.* *Instit. quibus non est permis. fac. testam.* vbi DD. Hostium loco nostris moribus quod ad hanc quæstionem, habemus tantum infideles Christum seruatores nostrum non agnoscentes, vt sunt Turcæ, Sarraceni. *Trentler. d. disput.* 10. th. 2. lit. f.

33. Captiuorum loco obsides habentur. Et proindè nec hi lege

B

testari

testari possunt, *l. obsides 11. ff. qui testam. fac. poss.* Quia obsides Romanis dati ciues Romani non sunt, eoq; ius togæ non habent, *l. Diuus 31. cum seq. ff. de iure fisci*, adeoq; nec testamenti factionem, quæ tantum ciuium Romanorum est. Cui accedit insuper id, quod obsidum bona non secus atque captiuorum in fiscum redigantur, *d. l. Diuus 31. ff. de iure fisci. Goth. ad d. l. obsides 11. ff. qui testam. fac. possunt.*

34. Remouetur à testamenti factione & deportatus, *l. 8. §. 1. & 2. ff. qui testam. fac. poss. l. 6. §. 5. & 7. ff. de iniust. rupt. §. minor Instit. de capit. deminut. l. 5. ff. de var. & extr. cognit.* cui cum hodiè æquiparetur bannitus, *Andr. Geil. lib. 2. de pace publ. c. 1. num. 24.* neque hunc testari posse consentaneum erit; quod tamen de bannito Imperij cupimus intellectum, non Electoris, Principis & ciuitatis iura territorij habentis, nisi Imperator vel Camera proscriptionem approbasset.

35. Hoc controuersum est; Vtrum ad mortem damnatus iure nouo testamenti factionem habeat? A partibus negantium stabimus cum Vasquio *illustr. controu. 96. n. 2. contra VVesenb. in par. nu. 13. ff. qui testam. fac. poss.* Quod etiam de bannitò imperij cum Gail. *lib. 1. de pace publica c. 19. & Mynsing. 3. obseru. 30.* verum arbitramur. Non autem de excommunicato, *Duar. ad tit. ff. qui testam. fac. poss. nisi excommunicatus sit ob hæresin, Auth. credentes C. de hæreticis. Trentl. d. th. 2. lit. h.*

36. Qui testari vult statum ciuilem habeat, est necessum, quod adeò verum, vt si quis de statu suo dubitet vel erret, testamentum conficere potis non sit, *l. 14. cum seq. ff. qui testam. fac. poss.* Incertus enim est de statu suo. *d. l. 14.*

37. Ob crimen à testamenti factione arcetur: 1. Usurarius manifestus, *c. quanquam de usuris in 6. nisi præstita cautione de usuris iniquè extortis reddendis. Hœn. disput. iurid. 7. th. 4. lit. o.* 2. Hæreticus *l. 4. l. 19. & Auth. seq. C. de hæreticis*, nisi interliberos orthodoxos. *N. 115. c. 3. N. 118. N. 144. c. 1.* 3. Ob crimen famosum damnatus, *l. 18. §. 1. ff. qui testam. fac. poss. l. 21. ff. de testib.* 4. Incestas & adulterinas nuptias contrahens, *l. 6. & Auth. seq. C. de incest. nupt.* 5. Sacrum baptisma iterans. *l. fin. C. ne sacr. baptis. iter.* 6. Omnis, qui iure improbus intestabilisq; esse iubetur, *l. 15. l. 18. §. fin. ff. qui test. fac. poss. l. 26. ff. eod.*

38. Huc

38. Huc vsq; de personis testamentum condentibus. Modus testandi certis nititur legibus & regulis, iuxta quas eos, qui testandi ius habent, testari oportet. Fit illud vel fide publicâ, vel fide priuatâ. Hinc testamentum publicum aliud est, aliud priuatum. Nos breuitatis studio non attendemus hic vetera illa & iam pridem in desuetudinem abiecta testamentorum genera, quorum vnum calatis comitijs, alterum in procinctu, tertium per æs & libram constituebatur: videat qui velit de horum appellationibus ac solemnitatibus Agellium *lib. 15. noët. Attic. c. 27. Coras. Miscel. 12.*

39. Publicum testamentum illud est, quod publica fide & auctoritate nititur, fitq; duobus modis: Aut enim illè, qui testari vult, voluntatem suam precibus inserit, offertq; Principi, rogans, vt libellum & supremum voluntatis suæ elogium in scrinia recipiat: Aut palàm actis iudicis Principis personam sustinentis mentis suæ postremum publicat iudicium. Notatur vterq; modus *in l. omnium 19. C. de testam. Philipp. Hænon. disput. iurid. 7. th. 5.*

40. Vtriusq; testamenti fides publica est, quæ cum omnium superet testamentorum fidem ac solemnitatem, illud absq; vllis testibus adhibitis valere & subsistere posse existimamus. Securus est, inquit Imp. *in d. l. omnium 19.* qui actis cuiuscunq; iudicis suum publicauit elogium: Si securus est, quid ergò adhuc alijs opus testibus? Imò vtrumq; & coram Principe factum, & actis iudicis insinuatam, iudicat ad paria Iustin. cum eo, quod coram septem testibus fit atq; conficitur. *Mynsing. lib. 6. obs. 29.* quam sententiam in Camera Imperiali receptam asserit Andr. Fach. *lib. 6. cont. c. 86. Philipp. Hænon. disput. Instit. 7. quæst. 3. idem d. disput. Iuridicâ 7. thes. 5. Daniel Mollerus lib. 1. semestr. c. 5.*

41. Priuati nomen illud meretur testamentum, quod quis fide facit priuatâ. Estq; solemne, aliàs paganum *l. ult. C. de inoff. testa.* vel priuilegiatum, aliàs minus solemne dictum. Solemne rursus vel scriptum vel nuncupatiuum, *l. 21. in pr. & §. 2. l. 26. l. 29. C. de testam. l. 21. in pr. ff. qui testam. fac. poss. §. fin. Inst. de test. ord.* Illam testamenti distinctionem, quâ aliud appellatur iustum, aliud iniustum, consultò præterimus, vtpote de testamentis ciuium Romanorum duntaxat iustis pro tempore acturi.

42. Solemne id dicitur testamentum, in quo omnes iuris ciui-

lis obseruatæ sunt solemnitates. Solemnia autem ista in recta heredis consistunt institutione & testandi actione. Testandi actio in legitima testium adhibitione & ipso testandi facto. In legitima testium adhibitione tria vel maximè occurrunt considerata. 1. Singulorum conditio idonea. 2. Iustus numerus. 3. Rogatio eorundè.

43. Idonea testium conditio testimonij dicendi facultatem respicit, vbi pro regulâ: Testimonij dicendi facultatem habere omnes, quibus nominatim non est interdictum, *l. 1. §. 1. ff. de testib.* vbi dicitur, adhiberi testes posse, quibus non interdicitur testimonium, vel vllâ lege à dicendo testimonio excusantur. Nam si quis aliquem à testimonio dicendo, inquit Francisc. Duar. repellere velit, legem aliquam proferre oportet, quâ ei testimonium interdicitur.

44. Interdicitur autem quibusdam testimonium naturâ, quibusdam lege. Natura, vel ob vitium animi, vt furioso §. testes 6. *Instit. de testam. ord. l. qui testamento 20. §. ne furiosus quidem 4. ff. qui testam. fac. poss.* nisi tempore dilucidi interualli, *Schneid. Mynsing. VVesenb. in d. §. testes 6. Instit. de testam. ordinand. Prodigio d. §. testes 6. l. is cui lege. 18. in fin. pr. ff. qui testam. fac. poss.* non quod nihil vt furiosus, sed quod non debito modo rem intelligat. Impuberi, *d. §. 6. vbi Mynsing. Schneid. & alij;* quia nec hic quo oportet modo, aliquid intelligit, *l. 9. ff. de acquir. vel omit. hered. l. 5. ff. de R. I.*

45. Vel ob vitium corporis alicui testimonium interdicitur, vt muto, *d. §. testes 6. vbi VVesenb.* qui nihil planè loquitur. *Mynsinger. d. §. 6. nn. 11. Surdo, d. §. 6. Cæco, l. si non speciali 9. C. de testam.* quia vt testatorem videre non valet cæcus, ita nec subscribere, nec signare, multo minus sigillum recognoscere potest, quod tamen per necessarium, *l. 1. & t. t. ff. quemad. test. aperiantur;* facit, quod nec aliàs coram Prætorè rectè compareat, *l. 1. §. cæcum 5. ff. de postuland. cæterisq; negotijs arceatur, c. testes 3. quest. 9.*

46. Lege testari prohibetur seruus, *l. qui testamento 20. §. seruus quoq; 7. ff. qui test. fac. poss. l. hac consultissima 21. in pr. C. de testament.* nisi testamenti faciendi tempore habitus sit pro libero; tum enim ob publicam testandi facultatem testamentum illud Iustin. Principis sacratissimi liberalitate subsistere textus est ad literam *in §. sed quum 7. Inst. de testam. ordinand.* Seruo quo ad hoc æquiparandum

dum esse censemus deportatum, §. cum autem 1. Instit. Quibus mod.
I. P. P. S. non verò ascriptitium, nec etiam Monachum, Vigl. Zui-
chem. ad §. testes autem 6. Instit. de testam. ordinan. nu. 12. Trentl. volum.
2. disput. 10. th. 4. lit. i.

47. Et fœmina lege à testimonio arcetur, d. §. testes autem 6. d. l.
qui testamento 20. §. mulier 6. Ratio prohibitionis huiuscè non est,
quod crudele genus, nec fidum fœmina nomen, aut illis facilè est
verba & componere fraudes, vel quod mobilior ventis sit fœmi-
na; nam hæ rationes generales nimis prohiberent etiam in con-
tractibus & iudicijs illarum interponi testimonium: Sed est, quod
testium adhibitio sit à iure ciuili requisita solemnitas, quam fœ-
mineum subire sexum ius fasq; prohibuerunt, arg. l. 2. ff. de R. I. l.
alienam 18. ff. de procurat.

48. Sed quid statuendum de Codicillis? in illis valetnè testimo-
nium mulieris? Putamus fanè: Cessat namq; hïc ratio, ob quam
fœmina in testamento testis esse non potest, Dominic. Aruma. ex-
ercitat. 7. th. 14. nullam ordinationis solemnitatem desiderant Co-
dicilli, inquit Iustin. Imp. in §. fin. Instit. de Codicillis. Quare l. ult. C.
eod. cum VVesenb. ad d. §. fin. rectè accipiemus non de solemnita-
te ordinationis, sed probationis duntaxat. Philipp. Hænon. disput.
Instit. 11. quest. 21.

49. Nec heres scriptus testis esse quit in testamento, §. sed
neq; 10. Inst. de testam. ord. l. qui testamento 20. in pr. ff. qui test. fac. poss.
Legatario & fideicommissario in testamento scripto testimonium
non denegatur, §. legatarijs autem 11. Instit. de testa. ord. Sed vtrum
id in nuncupatiuò testamento illis concedi possit, non omnium
vna eademq; est sententia. Philipp. Hænon. disput. Instit. 7. quest. 9.
negatiuam propugnat. Nos contra eundem per generalitatem
textus d. §. legatarijs autem 11. & l. 20. in pr. ff. qui testam. fac. possunt.
affirmatiuam tuebimur. Dominic. Aruma. d. exercitat. 7. th. 16. Elias
Rober. disput. 11. th. 6.

50. Filius in testamento patris, in cuius est potestate, non re-
ctè adhibetur testis; neq; contra in testamento filij pater, qui fi-
lium in potestate habet, si fortè post missionem de castrensi pe-
culio vel quasi testetur filius, §. in testibus 9. Instit. de testam. ordin. l.
qui testamento 20. §. 1. ff. qui testam. fac. poss. Ratio est; quod pater &

filius, vi potestatis pro vnâ eademq; reputentur personâ, *l. fin. C. de impub. & alijs substit. §. si quis 4. Instit. de inutil. stipulat.* cum pars quodammodo corporis filius sit, *l. cum scimus 22. §. 1. vers. cum enim pars. C. de agricolis & censitis.* Ergò testante patre, si adhibeatur testis filius, videtur adhiberi ipse pater, testante filio si adhibeatur pater, adhiberi videtur filius, vtrobiq; testator ipse, quod est prohibitum, *l. nullus 10. ff. de testib.*

51. Iustus ac solemnus testium numerus septenarius est, *§. sed predicta 2. §. sed cum paulatim 3. Instit. de testam. ord. l. heredes 21. in pr. l. si testamentum. 23. ff. qui testam. fac. poss. l. hac consultissima 8. C. eod. l. si vnus 12. l. hac consultissima 21. l. cum antiquitas 28. l. vlt. C. de testam.* At quæ numeri huiuscè septenarij ratio? Ad euitandas fraudes & falsitates, *§. sed his omnibus 4. Inst. de test. ord. l. vlt. C. de fideicommiss.* necessarius visus LL. latoribus fuit hic numerus, *Couar. c. cum esses, ext. de testament.* Imò veteres vim & energiam huic numero attribuerunt, qui & sacer Apollini & Palladi, Deo quoq; Trinuno consecratus, *Leuit. 23. §. 3. & seqq.* & ab ipso sanctificatus, *Genes. 2.* Et Pythagoricis, numerus virginitatis, Apuleo, imò & Prophetæ Elisæo *4. Reg. c. 7.* purificationis numerus dictus fuit: Et Ebrais libertatis habebatur, *Exod. 21.* honoris, *Gen. 33. §. 3.* adeoq; perfectionis numerus; vt Apostolus Petrus sufficere arbitraretur, si septies in die fratri condonasset, *Matth. 18. §. 21. cum seq.*

52. Num adhuc hodiè septem testes in testamento necessarij? Ita sentimus, *d. §. sed cum paulatim 3. ibi:* Septem testibus adhibitis, *Instit. de testam. ord. d. l. hac consultissima 21. ibi:* testibus septem, *C. de testam. d. l. si testamentum 23. ff. qui test. fac. poss. l. bonorum 3. ibi:* septem testium, *ff. si tabula testament. nulla extab. l. si vnus 12. C. de testam.* quod cum iure nouo immutatum non reperiatur, cur stare prohibeatur? *arg. l. precipimus C. de Appellat. l. 27. C. de testam.* Et ità quoq; est constitutum in Comitijs Coloniensibus Anno 1512. sub Maximiliano, *tit. Von Testamenten. §. vnd sollen die Notarij, ibi:* daß nach Keyserlichen Rechten auffß weinigt sieben Zeugen noth seynd/ &c. Quod adeò verum esse concludimus, vt in testamento tempore pestis condito septem testes requiramus, *l. casus 8. C. de testa.*

53. Hinc septenarius ille numerus de substantia licet sit testamenti, *d. l. si vnus 12. C. de testam.* statuto tamen vel consuetudine ipsum

ipsum minui posse haut ambigimus, *l. si non speciali 9. C. de testam.* solemnitas namq; ista meri iuris ciuili existit, dd. modò iurib. Ciuile autem ius alio iure ciuili, veluti lege municipali aut consuetudine mutari potest, aut saltem ei derogari, *§. pen. Instit. de I. N. G. & C. Mynsing. cent. 5. obs. 20. n. 1. & 2. Andr. Geil. lib. 2. obs. 123. Ioan. Sichard. ad l. iubemus 29. num. 6. C. de testam. Reusn. tr. de testam. part. 3. c. 23. & seq. Schurff. cent. 2. consil. 92. Philipp. Hænon. disputat. Instit. 7. quest. 5.*

54. Testandi modus solemnus cum sit, & præsentia testium solemnus esse debet; quare testes ad testamenti confectionem singulariter rogati & conuocati vt adhibeantur, non ineptè astruimus, *l. heredes palam 21. §. in testamentis 2. ibi: testes rogati adesse debent, ff. qui testam. fac. poss. l. hac consultißima 21. ibi: eamq; rogatis testibus, C. de testam. l. fin. ibi: quos ad testimonium conuocari necesse est, C. eod. Auth. rogati C. de testibus.* quod in testamentis ad euitandam fraudem specialiter receptum esse Donellus attestatur *lib. com. 6. c. 7. Treutl. volum. 2. disput. 10. th. 5. lit. b.*

55. Hinc si casu confluerint testes, alteriusuè rei causa fuerint conuocati, planè ad testandum inidoneos eos pronunciamus, *d. Auth. rogati C. de testib. d. l. hac consultißima 21. C. de testam. d. l. heredes palam 21. §. 2. ff. qui testam. fac. poss. l. Diuus 24. ff. de testam. milit.* quod tamen ità intellectum volumus, vt licet ob aliam rem sint rogati vel collecti, si tamen antè certioerentur ad testamentum se adhibitos, testimonium rectè perhibere possint, *d. l. heredes palam 21. §. 2. ff. qui testam. fac. possunt.*

56. Nec referre existimamus, à quò sint rogati testes, siuè à testatore, siuè Notario siuè alio quouis, modò testatore præsentè rogati sint; tunc enim ipse testator eos rogasse intelligitur, *arg. l. 1. §. fin. ff. si mens. fals. mod. dix. quæ testium rogatio in dubio non præsumitur, Hieron. Treutl. d. volum. 2. disputat. 10. th. 5. lit. b.* cum nulla solemnitas extrinseca regulariter, qualis hæc, præsumatur, *l. quacungq; 13. in fin. ff. de publician.* Etiam si scriptum sit in testamento, præsentibus illis testibus, cum ad positionem vnus facti, non statim sequatur positio facti alterius.

57. Testium conuocationem ipsum testandi factum sequitur, quod in eo est, vt coram testibus præsentibus voluntatem suam
vltimam

ultimam declaret testator, *l. hac consultissima 21. vers. dum tamen testib. presentibus C. de testam. l. qui testamento 20. §. veteres 8. ff. qui testam. fac. poss. l. omnium 19. in pr. C. de testam.* quod in tantum verum, ut licet quis exemplum testamenti præpararit, & prius quam id declaret, decedat, illud testamenti exemplum ne quidem in vim codicilli valeat, *l. fideicommissa 11. §. 1. ff. de legat. 3.*

58. Plenior autem fit hæc declaratio in nuncupatio testamento, cum quid post mortem suam fieri velit, palam exponit, quam in scriptis, ubi sufficit, si testator ex præscripto Diuorum Imp. Theodosij scilicet & Valentiniani scripturam testamenti ligatam vel tantum clausam, inuolutamq; testibus vnâ præsentibus subscribendum & obsignandum suum esse testamentum dicendo offerat, verba sunt sæpè *d. l. hac consultissima 21. in pr. C. de testam.* Et ita cavit quoq; nouissimè imperij constitutio, doch daß er öffentlich ansage / daß solches / so er da legt / sein Testament sey.

59. Testamentum in scripturam reponendum, vtrum manu testatoris, vel alterius cuiusdam scribatur, nihil interesse opinamur, *l. hac consultissima 21. in pr. l. cum antiquitas 28. §. cum autem 1. C. de testam.* dummodo si alterius manu scribatur, & prorsus ignoret literas, vel subscribere nequeat testator, octauus subscriptor adhibeatur, *d. l. hac consultissima 21. in pr.* Quod si propria manu tabulas scribat testator, nihil est opus vel ipsum, vel alium eius nomen subscribere; quod olim secus erat, *d. l. cum antiquitas 28. §. cum autem 1. C. de testam. Vigl. Zuichem. ad §. sed cum paulatim 3. n. 8. Instit. de testam. ordinand.*

60. Scripturam sequi debent testium literæ, *d. §. sed cum paulatim 3. Instit. de testam. ord. d. l. cum antiquitas 28. C. de testam.* adeò ut nihil omninò valeat testamenti scriptura, testes si non subscripserint, *d. l. hac consultissima 21. in pr. C. de testam. l. ad testium 22. §. si quis 4. ff. qui testam. fac. poss.* Atq; huiusmodi subscriptionem, quæ adnotationem, qui & cuius testamento subscripserint, continere debet, pro forma requiri ex Br. Speculat. Roland. à Vall. alijsque tradit Ernestus Cothman. Antecessor Rostochiensis *consil. 29. n. 101.* Et cum alius pro alio subscribere nequeat, singulos testes suis manibus subscribere debere existimamus; freti textu haut ineleganti, *in l. singulos testes 30. ff. qui testam. fac. possunt.*

61. Sub-

61. Subscriptionem excipiat testium obsignatio, §. *sed cum paulatim* 3. *Instit. de testam. ordinand.* tum enim tabulæ testamenti perfectæ, si septem testium signaculis non paucioribus, licet plures testes subscripserint, signatæ sint atq; confirmatæ, *l. ad testium* 22. §. 4. ff. *qui testam. fac. poss.* Nec interest, quo annulo utantur testes, vnonè omnes an pluribus, proprijs an alienis, *d. l. ad testium* 22. §. *si ab ipso* 2. ff. *qui testam. fac. poss. l. si vnus* 12. C. *de testam. Francisc. Duar. ad t. ff. qui test. fac. poss. sub Rub. de testamento in scriptis.* §. *Quarto præter.* *Vigl. Zuichemus ad §. possunt autem* 5. nu. 6. *Instit. de testam. ordinand.* Si tamen alieno quis annulo signet, putat Speculator, quod in subscriptione id profiteri debeat, cui patrocinium nos non pollicemur, cum sine legibus loqui erubescamus, *N. 18. c. 5. in prin. Vigl. Zuichem. ad d. §. possunt autem* 5. n. 5. *Inst. de test. ord.*

62. Illud controuersum, dubietatisq; plenum esse videmus, vtrum testes in testamento annulo tantum, an verò alio quouis impresso & signo in testamenti consignatione uti possint? Annum signatorium, qui Vopisco sigillaricius dicitur, præcisè requirunt, *Iacob. Cuiac. lib. 14. obs. 11. Francisc. Duar. d. §. Quarto præter.* *Viglius Zuichemus ad d. §. possunt autem* 5. nu. 2. *Valent. Guil. Forster. Professor VVitebergensis disputat. Inst. 12. q. 7.* Sed nos ab hiscè diuortium facientes, testamentum signo quouis characterem tamen habente signare licere cum *Connano lib. comm. 9. c. 2. num. 3.* masculè defendemus; quia annulus, ad signandum requiritur testamentum, non quâ annulus, h. e. in orbem reflexus, sed quâ signum testis in eo insculptum. Hinc certè characterem magis spectamus, quàm annulum; Propter quod namq; vnumquodq; est tale, illud magis tale. *Philipp. Hænon. disput. Inst. 7. quest. 7. Dominic. Arum. Antecessor Ienensis exercit. 7. th. 17. Reichs abschiedt de Anno 1512. sub rub. von Testamenten/ vers. Nun die Form eines Testaments.*

63. Et hætenus dicta actu continuo, h. e. contextu vnico, vno eodemq; tempore peragi debere nullo alieno actu interposito volunt DD. *comm. §. sed cum paulatim* 3. *Instit. de test. ord. l. heredes palam* 21. §. *fin. ff. qui testam. fac. poss. l. hac consultissima* 21. C. *de testam. Hieron. Treutl. volum. 2. disput. 10. th. 5. lit. h. VVesenb. in par. ff. qui testam. fac. possunt. nu. 10. nisi valetudinis vel naturæ necessitas actum*

C

textus

textus est elegans in l. cum antiquitas 28. C. de testam. Ioan. Sichard.
in d. l. hac consultissima 21. in pr. nu. 8. C. de testam. Vigl. Zuichemus ad
d. §. sed cum paulatim 3. ad verba: Vno contextu. Inst. de test. ord.

64. Hinc contractum, quod diuersus, quod alienus, in testa-
mento, celebrari non posse rectè concludimus, l. verba contraxe-
runt 20. ff. de V. S. Nec facilè id admittit testamenti definitio;
quia testamentum voluntatis nostræ iusta est sententia, l. 1. ff. qui
testam. fac. poss. Contractus verò non nostræ tantum, sed & alienæ,
l. Labeo 19. ff. de V. S. Facit, quod testamenta ad mortem vsq; re-
uocari possint, l. 4. ff. de adimend. legat; à contractibus autem alte-
ro inuito nullo modo recedere liceat, l. in commodato 17. §. 3. ff.
commod. l. si mandauero 22. §. fin. ff. mandat. l. sicut 5. C. de O. & A. E-
leganter Vigl. Zuichem. ad d. §. sed cum paulatim 3. nu. 4. & seq. Domin.
Arum. d. exercit. 7. th. 10.

65. Netamen testamentum scriptum ob prætermittam fortè a-
liquam prædictarum solemnitatum in vitium incidat & corruat i-
ta, solet plerumq; à testatore clausula codicillaris apponi, vt nisi
valeat, quod scriptum est, iure testamenti, valeat tamen iure co-
dicillorum, l. ex ea scriptura 29. §. 1. ff. qui testam. fac. poss. l. vlt. C. de
Codicillis. Donell. lib. comm. 7. c. 18. Vigl. Zuichem. ad §. masculino 8. In-
stit. de pupillar. subst. num. 3. & ad pr. t. Instit. quib. non est permiss. fac.
testam. num. 10.

66. Sed hæc quidem de testamentis, quæ scriptis conficiuntur,
sufficiunt. Si quis autem sine scriptis voluerit ordinare iure ciuili
testamentum, septem testibus adhibitis & suâ voluntate coram e-
is nuncupata, sciat hoc perfectissimum testamentum iure ciuili,
firmumq; constitutum, §. fin. Inst. de testam. ord. ibiq; DD. l. heredes
palàm 21. ff. qui testam. fac. poss. l. hac consultissima 21. §. nuncupationem
2. & l. 29. C. de testam.

67. Et licet hodiè nihil ferè sit frequentius, quàm quod nun-
cupatium testamentum à Notarijs in scripturam redigi soleat;
non tamen ob id nuncupatium esse desinit: Scriptura namque
non ad substantiam, sed ad maiorem actus probationem perti-
net, perpetuamq; rei memoriam, l. 4. ff. de pig. l. 4. ff. de fid. instru-
ment. id quod exemplo consuetudinum feudalium plus quam est
manifestum, Philipp. Hoënon. disputat. iurid. 7. th. 11. lit. f.

68. Huc

68. Hucusque de de testamento solemnibus. Minus solemnibus species præcipua est militare testamentum, quod à milite ex specialibus priuilegijs ab Imp. indultis, quomodocumque velit aut possit, conficitur, ita ut nuda duntaxat eius voluntas attendatur, *t. r. Inst. ff. & C. de test. milit.* Ratio priuilegij simplicitas est & iuris ignorantia, *l. 2. l. quanquam 3. C. de testam. milit.* arma enim magis quam iura scire debent milites, inquit Imp. *in l. fin. in pr. C. de iure deliberand.*

69. Non eum autem hic intelligimus militem, qui *μεταφορικῶς* tantum, & per abusionem militis nomine indigitatur, sed qui reuerà miles, & in expeditione, vel castris occupatus est, *in pr. & §. 3. Instit. de militar. testam. l. 1. ff. eod. l. pen. C. eod. Viglius Zuichem. ad Rubr. Instit. de milit. testam. n. 14.* Post missionem enim iure communi testari tenetur, nec testamentum in expeditione factum post missionem ultra annum valet, *d. §. sed hætenus 3. ubi Wesenb. Vult. & alij Inst. de militar. testam. l. 21. l. 26. l. 38. ff. de testam. militar.*

70. Hinc militibus togatis, h. e. Doctoribus & Aduocatis idem permittere iuris ratio non patitur, *l. fin. in pr. & §. 1. C. de inoffic. testam. l. ult. C. qui testam. fac. poss. Donell. lib. comm. 6. c. 28. Ioan. Schnei. ad pr. Instit. de militar. testam. nu. 12.* quia nec veri milites extra castra degentes ad vindicandum tale priuilegium adiuuantur, sed iure communi testari iubentur, *d. pr. Instit. de militar. testam.* Ergò multo minus milites hi togati, h. e. Doctores, Professores & causarum patroni istius priuilegij participes erunt, *Wesenb. ad d. pr. num. 6. Dominic. Arum. exercitat. 7. th. 9. Hænon. disputat. Instit. 7. quest. 12. Viglius Zuichem. d. n. 14.*

71. Nec militibus limitaneis, stationarijs, præsidarijs (so auff der Herren Bestungen in der Besatzung liegen) hoc testandi priuilegium tribuere audemus; quia ad eos duntaxat milites pertinet hoc priuilegium, qui in expeditionibus occupati sunt, *d. pr. Instit. de militar. testam. l. pen. C. eod. h. e. ipso actu militant, ac in castris degunt, §. sed hætenus 3. Instit. de milit. testam.* Iuuat, quod priuilegia strictè accipienda sint, *l. 21. ff. de testam. milit. l. 3. in fin. C. de LL. c. 28. c. 74. de R. I. in 6. l. 64. §. pen. ff. solut. matrim. ubi Gothofred. Donell. lib. comm. 6. c. 28. & ad l. 8. C. de reuocand. donationib. num. 19. Andr. Geil. lib. 2. obs. 118. num. 6.*

72. At quid? Annè milites nostri temporis hoc testandi priuilegio

legio priuandi? Non opinamur. Quia nec minor hodiernis nostris militibus imperitia iuris est & simplicitas. Ergo quemadmodum ratio ista olim illis priuilegium hoc peperit, *d. pr. Instit. de milit. testam. l. 3. l. 15. l. pen. C. eod. l. ult. in pr. C. de iure deliberand.* Sic hodie in nostris quoque idem operabitur, *l. 32. ff. ad L. Aquil. l. à Titio ff. de V. O. maximè cum ei nullam contrariam constitutione sit derogatum, l. 32. §. fin. C. de Appellat. permessa namque intelliguntur, quæ permessa durant, Pauli verba sunt in lib. 5. §. 2. quod cuiuscunque uniuers. Vigl. Zuichem in rubric. num. 11. ibique Mysing. nu. 4. cum aliquot seqq. Instit. de militar. testam. Dominic. Arum. d. exercitat. 7. th. 8. Philipp. Hænon. d. disput. Instit. 7. quest. 10.*

73. Et in testamento inter liberos condito testandi solemnitatem relaxatam esse arbitramur, siue id erit coeptum tantum, siue impletum, adeoque imperfectum quoad defectum solemnitatis, non verò voluntatis, *l. 16. C. familiae erciscunda.* Ratio priuilegij est, quod hic cesset fraus, cui solemnitatibus est obuiandum, *l. fin. §. cum enim res C. de fideicommiss.* Et quod iure naturæ parentum hereditas liberis debeatur, *l. nam etsi 15. in pr. ff. de inoff. testa. l. scripto 7. in fin. ff. si tab. testam. nulla extab. unde lib. l. cum ratio 7. in pr. ff. de bonis damnat. Trentl. d. volum. 2. disput. 10. th. 6. lit. h.*

74. Sed quid si charta patris testatoris manu sit exarata? Hanc, modò officiosa non sit, *l. 1. 2. 3. l. 15. ff. de inoff. testam. l. parentibus. C. eod. testibus etiam non adhibitis liberorum respectu valere verius est, textus est in l. ult. ibi: Etiam si solemnitate legum huiusmodi dispositio fuerit destituta &c. C. familiae erciscunda. l. hac consultissima 21. §. ex imperfecto. C. de testam. N. 107. c. 1. Donell. lib. com. 6. c. 9. Trentl. d. th. 6. lit. h. Hackelman. illustr. quest. 16. th. 8. lit. b. Geil. lib. 2. obs. 112. num. 7. Andr. Fach. libr. controu. 4. c. 1. Dominic. Arum. d. exercit. 7. th. 12.* Et hoc non de ijs saltem liberis, qui legitime nati, verum esse statuimus, sed etiam de legitimatis, siue per matrimonium subsequens, siue per rescriptum principis, *Andr. Geil. d. obs. 112. num. 21. cum seq.*

75. Rusticorum quoque testamentum solemnitatibus testamentarijs eximimus, quippe quibus secundum loci consuetudinem testari permittitur, seruatis requisitis in *l. ult. C. de testam. propositis.* Rarò namque in pagis homines reperiuntur docti; verba sunt *d. l. ult.*

d. l. ult. C. de testam. Sed quid de testamento ad pias causas collato? Hoc duobus vel tribus testibus adhibitis conditum valet, *c. relatum, extr. de testam. ubi Couarr. num. 12. Donell. lib. comm. 6. c. 9. Trentl. d. th. 6. lit. i. Philip. Hænon. disput. iurid. 7. th. ult. lit. f.*

76. Huc postremò (vt tandem positionibus nostris testamentarijs colophonem imponamus) & Codicillum referimus à solemni & perfecto testamento tum in pluribus, tum in his præcipuè differentem. 1. quod neq; hereditas codicillo dari possit, neq; adimi, *l. si ei 2. §. hereditas 4. ff. de iure Codicill. l. hereditatem 2. l. si idem 7. C. de Codicillis. ubi & ratio.* Aliam reddit Papinianus *ICTus in l. quod per manus 10. ff. de iure codicill.* 2. quod pluribus factis codicillis quis possit decedere, *§. codicillos 3. Instit. de codicillis. l. Diui. 6. §. codicillos 1. ff. eod. dummodò non sint contrarij. l. cum proponatis 3. C. eod.* 3. quod testamentum multas, codicillus autem nullas, aut sanè perpaucas requirat solemnitates, *d. §. ult. Instit. de codicill. Hieron. Trentl. d. volum. 2. disput. 10. th. ult. lit. f.*



Π Α Ρ Ε Ρ Γ Α.

I.

An Ganerbinatus, hoc est, confæderationes, societates & confraternitates honestorum ac generosorum animorum, item & ciuitatum nonnullarum in præiudicium aliorum sit, vel videatur initus? Nullò modò.

II.

An licitum pactum, quò melioris generis moneta reddi cauetur, quàm credita? Sanè: Sed ita, ne in quantitate plus recipiat creditor, quàm numerauit.

III.

Vtrum thesaurus in loco religiosò & sacrò inuentus, totus cedat inuentori, an verò tantum dimidia pars, & dimidia pars sit fisco vindicanda? Placet posterius. Com.

IV.

Competitne Magistratibus municipalibus iurisdictio in nobiles, vel consiliarios, & officiales Principis, si hi delinquant in ciuitate, vbi suam curiam habet Princeps? Imus inficias.

V.

An laudabilius & melius sit consiliario vitam perdere, quam Principi salubre consilium suppressere? Prius longè melius.

VI.

Num Consiliariatus & alia munera in Ducatu vel Repub. natis potius, quam extraneis mandanda? Posteriori patrocinium non pollicemur.

VII.

Sumptus studiorum causa filio à patre suppeditati in collationem veniunt? Si filius eosdem vtiliter consumserit, ac in prauos vsus non impenderit, negatiuè subscribimus.

VIII.

Quid, is, qui viciatam ab aliò duxit ignoranter, repudiarene eam potest? Omnino.

IX.

An in matrimonio ineundò & matris consensus necessarius? Maxumè.

X.

Pulcranè ducenda, an verò deformis? Formam liberalem haut negligendam esse nobis persuademus.

XI.

Vxores iure mariti verberandæ? Quis quæso seipsum
ob cri-

ob crimen aliquod verberibus prosequitur, nisi qui cum ratione insanit?

XII.

Ecquid fideiussor à volente marito pro conseruandâ dote offerri potest? Non putamus.



Ad doctissimum & Humanissimum
Iuuenem,

IOAN. MVLLERVM,

In illustri Academia IVLIA, disputationibus Iuridicis, se, aliosq; exercentem.



Vi Martis famulos, spirantes robur &
iras,

Per varios casus, ac tot discrimina rerû
Intrepidus ruere, & duros ferre obuia morti
Corpora fortè videt, num quid, qua mente labores
Tantos sustineant, cur sua pericula nunquam
Detrectent, MVLLERE, mihi carissime, nescit?

Haud equidem reor. immo animos dulcissima
rerum

Gloria, laudis amor, spes præda, in prælia trudent.

Nemo etenim frustra corpûsue animûmue labori

Addi-

*Addicit, nedum insanus tot mille periculis
Utrò se obiiciat. Nec tu, ni præmia speres
Debita virtuti, noctesq; diesq; palaestra
Insudes Themidos: non diæ Palladis artes
Perpetuo addiscas studio, & conamine tanto.
Nempe tua huc omnis præclare industria spectat,
Quondam ut præsidii in te sit patriaq; tuisq;
Multum, consiliiq; boni: quo rebus in arctis
Promptus utrosq; iuves, tibi rem, tibi præmia
quæras*

*Fama immortalis, nomenq;, decusq; perenne.
Nec tua te fallat spes, hic nisi fallitur augur,
Nec patria spem tu falles, nec vota tuorum.
Quin benè si noui te, sic decurrere porrò
Hoc spacium perges, ita in hac luctabere arena,
Ut patria vincas spes, ac pia vota tuorum.*


M. Christophorus Heidman, Rhet. Prof.
publ. scrib. amico & conuictori
suauissimo.

F I N I S.

(X2618032)

V017







17945.

N^o 37

1613, 6

15

QVOD DEVS TRINVNVS BENE
VORTAT,

*Scitu permissuq; Amplissimi Ictorum ordinis in
illustri Illust. mi Iulij Academia Iulia,*

Positiones subsequentes

DE

Vtilissima simul ac frequentissima

TESTAMENTORVM MATERIA,

SVB PRAESIDIO

IOANNIS MVLLERI

QVEDLINBVRGO-SAXONIS,

*Exercitij causa veritatisq; indagandæ ergò euiscerandas
proponet, atq; defendendas suscipiet*

CASPARVS Heidtbergf / Ascanius Sax.

*Habebitur disquisitio ad diem Augusti 27. horis & ante
& pomeridianis.*

*Non omnes in omnia, sed certi per certa vel melio-
res, vel deteriores inueniuntur, Const. Deo auctore s.
cumq; hac s. de concept. Digest.*

HELMAESTADI,

TYPIS IACOBI LVCII,

ANNO MDLXIII.

